
H. Christianus

de sensibus tam exteriorib.
quam interioribus.


1599.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]

14. 175. 4° DA BOX
(LN bis 179)
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]

Theſes Philoſophicæ

DE

SENSIBVS TAM EXTERIORIBVS QVAM Interioribus,

QVAS,

Pro ſuprema in Philoſophia laurea conſequenda:

EX DECRETO AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS IN CELEBERRIMA RAVRACORVM ACAdemia,

Sub Præſidio

CLARISSIMI ET EXCELLENTISSIMI VIRI, DOMINI IOHANNIS GEORGII LEONIS, PHILOSOphiæ & Medicinæ Doctoris ac Phyſices ibidem Profeſſoris ordinarij,

Publicè examinandas proponit

PETRVS CHRISTIANVS RIPENſis, Danus.

Ad diem 3. Februarii, hora 8, loco ſolito.

BASILEAE,

Typis IOANNIS SCHROETERI.

cIↄ Iↄ Ic.

14,-175

6

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]

REVERENDIS, PIETATE, ERVDITIONE, OMNIbuſque, virtutum Generibus præſtantiſsimis viris,

Dn. MAGISTRO NICOLAO SEVERINI,
Dn. MARTINO PETRI HEGELVND,
verbi divini In Eccleſia, quæ Chriſto apud Ripenſes Colligitur miniſtris vigilantiſsimis ϗ ὀρθοδοξοτάτοις *amicis & affinibus ſuis Chariſsimis,*

Benevoli animi indicii ergo D. D.

Petr. Chr. Rip.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]

DE SENSIBVS EXTERIORIbus & interioribus.

THESIS I.

PRæclarè Princeps ille Peripateticorum Ariſtoteles 1. de anima, cap. 1. inquit, Animæ cognitionem ad totius naturæ myſteria perveſtiganda ſummopere eſſe neceſſariam.

2. Id quod & ſapiētis illius γνῶθι σεαυτὸν monere videtur. Nihil enim eſt de omnibus rebus, per quod aliquis tam in ſui notitiam venire poſsit & operationum ſuarum quas cottidie ob oculos ſibi poſitas habet, quàm per accuratam animæ contemplationem.

3. Ea namq́ eſt fons actionum omnium in corpore animato, unde ab eodem ante laudato philoſopho principium animalium, ab aliis verò principium principiorum dicitur.

4. Eſt autem anima, definiente ſic philoſopho 2. de anima cap. 1. Actus primus corporis phyſici organici potentiâ vitam habentis: vel, eſt id, quo primò vivimus, ſentimus, & intelligimus.

5. Potentiæ igitur ſeu δυνάμεις animæ tres ſunt, vegetās, ſentiens & rationalis, quas λόγῳ tantùm differre dicimus.

6. Vegetante autem, eò quod doctiſsimè ab aliis ante ſit enodata, in medio relictâ, ſentientis jocundiſsimam contēplationem in paucarum theſium pugnum quaſi cōtractam, excutiendam breviter proponemus.

7. Quod ut δεόντως & abſq́ aureæ methodi legis violatione fiat, à definitione, quæ cognitionis eſt fundamentum,

διασκέψεως noſtræ, carceres aperiundi ſunt.

8. Facultas igitur animæ ſenſitricis eſt potentia ſenſilium formas ſeu qualitates, interventu organi corporei ad id accommodati, percipiens.

9. Dico formas. Nam nullus ſenſus res ipſas occurrentes percipit: verùm ſicut ſigillum, dum premit ceram, non recipitur ipſum in cera, ſed eius imago: ſic etiam objecta ſenſuũ externa, dum percellunt ſenſus, non recipiuntur ipſa, ſed ipſorum qualitates, Ariſt. 2. de an. cap. 12.

10. Si enim res ipſa ſecundum materiam videretur, eſſet in organo res ipſa: at lapis nihilo melius eſt in oculo, quam in ſpeculo, & ſequeretur abſurdum illud, quod eadem res eſſet numero plures res, à pluribus enim videri dicitur.

11. Senſile eſt, quod ſenſu percipitur, idq́ue vel καθ' αὑτὸ vel κατὰ συμβεβηκός, illud à quo ſenſus immutatur & alteratur, hoc à quo ſenſus nihil patitur primò & immediatè ſed tantùm quia cum ſenſili per ſe copulatur. Ariſt. li. 2. de an. ca. 6.

12. Per accidens ergo ſenſile vocatur, quia per accidens, hoc eſt, per aliud, non per ſe in ſenſum abit. Scid. 486 Sic errantium in campis oculos nivis albedo ferit & afficit, tanquam ſenſile quid per ſe. Limes verò in eodem campo poſitus à prætereuntibus dicitur videri; quem tamen non vident, quatenus limes, ſed quatenus lapis coloratus.

13. Senſile porrò per ſe fertur commune vel proprium. Commune eſt, quod pluribus vel omnibus ſenſibus percipitur, operante ſimul virtute mentis diſtinctiva. Horum ſunt quinq́ue: motus, quies, numerus, figura, magnitudo.

14. In communibus ſenſilibus multipliciter errare ſenſus palam eſt. Quæ enim moventur aliquãdo quieſcere, & quæ quieſcunt moveri videntur: ſicut res per medium motum viſas moveri putamus. Fr. Tolet. de anima pag. 269.

15. Senſilia communia per accidens percipi haud concedimus: ſed per ſe & ſecundariò. Omninò enim per ſe etiam

ſentia.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]

ſentitur quies: neque ſolùm in negatione motus: ſed in ſua quoq; affirmatione. Quieſcit enim quod quieſcit, quia quieſcit: non autem quia non movetur. Scalig. exerc. 298. ſect. 15.

16. *Percipiuntur autem æquè ac propria ab exterioribus ſenſibus, & vel ab omnibus, aut ab aliquibus: Figura & magnitudo viſu & tactu, numerus omnibus, motus & quies viſu & tactu percipiuntur.*

17. *Proprium eſt quod à nullo alio percipitur, præter illũ, cuius eſt proprium. Sic color, quia à nullo ex ſenſibus niſi à viſu tantum percipitur, ſenſile per ſe eſt & proprium: idem de ſono, ſapore, odore & qualibet tactili qualitate, qui à ſolo auditu, guſtu, olfactu & tactu percipitur, judicabis.*

18. *Circa ſenſilia propria genericè ſpectata, ſenſus non errat: judicium ergo quod à ſenſibus ſumitur eſt certiſſimum.*

19. *Et hæc de ſenſili. Perceptio rei ſenſilis dicitur ſenſio ſeu ſenſatio. Senſio eſt ſenſilis, ſeu ſpeciei delatæ in ſenſum impreſſio.*

20. *Hæc autem ſenſio partim eſt activa, partim paſſiva. Paſſiva eſt, quatenus percipit objecta. Recipere enim eſt quoddam pati. Activa verò eſt, quatenus ipſa ab objecto effecta, parit ſenſum: & rem unam, ab alia diſcernit. Zanch. par. 3. lib. 2. de oper. cap 3. theſ. 4.*

21. *Vt autem ſenſio fiat cum facultate, & fallaciæ, erroresq; ſenſuum averti & caveri poſſunt, neceſſe eſt ſenſus habeant proprium ſubjectum inſtrumentum, nec non medium, quorum omnium ſi mutua quædam ſit conſenſio & juſta proportio, ſenſus ipſi ſunt validiores.*

22. *Singuli enim, objecto nimis vel excellenti, vel deficiẽti, inſtrumento vitiato, medio craſſiore hebetantur & corrumpuntur.*

23. *Organon ſeu inſtrumentalis ſenſuum cauſa dicitur* αἰσθητήριον *vulgò ſenſorium, & eſt pars corporis quâ ſenſilia oblata facultas ſentiens percipit, & quâ impeditâ aut læ-*

sđ ipſius etiam facultatis ἐνέργεια impeditur.

24. Inſtrumentum ergo, ut ſit rectè & ſecundum naturam diſpoſitum, id eſt, ſanum, vigens, integrum, illæſum & quietum, oportet. Tale enim inter ſenſum & organon eſt vinculum, ut alterum ſine altero vix ac ne vix quidem eſſe poßit. Archang, Mercen. pag. 71.

25. Præterea organa recipientia debent eſſe nuda à natura recepti: intus enim apparens prohibet alienum. Quando itaq; ſapor aliquis aut odor actu ineſt ſenſoriis, tunc eſt impedimento aliis, & aut difficilem aut malum ſenſum facit. Archang. pag. 414.

26. Inſtrumentum deniq; ſenſus aliud eſt commune, aliud proprium ſeu particulare. Commune eſt cerebrum animæ ſentientis propria arx & domicilium à natura factum, in quo duo inſignia ſenſuum inſtrumenta, ſpiritus animales & nervi. Illi quidem ut qui recipiant ſpecies impreſſas, hi ut ſpirituum ſint vehicula.

27. Non tamen ſpiritus per ſe ſenſus faciunt, ſed per nervos, nec nervi, cum ſint terreſtres, ſentiunt niſi per ſpiritus. Ratione itaq; materiæ nervi non ſentiunt, ſed formæ & temperiei quam à ſpiritibus accipiũt, à quibus calefiunt, à carne verò circumſtãte humectantur: Fr. Tolet. de anima pag. 352.

28. Proprium inſtrumentum ſeu externum eſt, quo quilibet ſenſus peculiariter utitur, quale eſt in viſu oculus, in auditu auris, in olfactu naſus, in guſtu lingva, in tactu cutis nervoſa. His ſingulis à capite nervi & ſpiritus communicantur.

29. Ad hæc ne ſenſus fallatur medium erit conveniens, recteq; ſe habens, juſta & moderata erit inter ſenſum & ſenſile diſtantia, ſitus juſtus, modusq; conveniens requiritur: mora moderata & conveniens deſideratur: rebus percipiendis animus ut ſit intentus præcipitur. Hippocrat. 6. Aphoriſ.

30. Hæ conditiones ſi adſint, ſenſum circa proprium ſenſile nunquam errare aßeveramus. Hact-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]

31. *Hactenus generalia ſenſuum, proximum eſt ut in ſpecie de iis agamus.*

32. *Senſus alii ſunt exteriores, alii interiores,*

33. *Senſus exterior eſt facultas apprehendens, quæ ſpecies ſenſiles præſentium rerum primò percipit. Percipit autem tam intra quàm extra corpus poſita.*

34. *Hujus ſenſatio tantò eſt accuratior: quantò ſenſus ipſius & organi cum ſenſili proportio major fuerit. Proportio iſta in variis variat. Idem enim diverſis eſt excellens & nõ excellens. Hinc diſsimilis rerũ ab aliis atq; aliis perceptio.*

35. *Exteriores ſenſus dicti ſunt, quia organa habeant circa exteriores corporis partes, quamquam non omnia, præcipuè tamen, quod externa objecta apprehendant primò, non interveniente alia cognitione vel perceptione.*

36. *Senſus exterior vel eſt in toto corpore, vel in certâ quadam parte.*

37. *Senſus communis totius corporis eſt tactus, qui rerum tactilium imagines percipit. Res tactiles ſunt calidum, frigidum, durum, molle &c.*

38. *Vnam potentiam eſſe tangendi, unum organon, & ita unum tactum, non plures affirmamus. Non enim ex objectarum qualitatum varietate ſenſuum numerus petendus, ſed ex organorum differentia æſtimandus.*

39. *Organon illud tactus eſt, nervea pellicula per totum corpus capillatim ſparſa, ut nulla pars ſit ſine tactu, & quò ſubtilior nervus, eò exquiſitior tactus.*

40. *Cum iis ergo non facimus qui carnem pro ſenſorio agnoſcunt, niſi quatenus nervoſam ſibi pelliculam adjũctã habet. Goclen. Tactum in multis ubi nulla caro, invenies. Brichtus.*

41. *Calor enim vel pungens ſtylus, ſi in nudum apertumq; nervum incidens eximiè & acriter ſentitur, quamquam nulla accedat caro. Fernel. lib. 6. Phyſiol. cap. 10.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]

42. *Medium tactus an detur copioſè & nervoſè quæritur. Nos cum rectius ſentientibus cutem, quam Græci ἐπιδέρμιδα vocant ſtatuimus. Interdū tamē aquam & aërem in contactu duorum corporum medium eſſe concedimus.*

43. *Tactus itaq; fit organo & tactili adeò ſibi invicem applicatis, ut extrema ſint ſimul: tum qualitas communicatur cuti, & defertur ad nervos, quia immediatus nervorū tactus, dolorem ciet præſentiſſimum. Caſman. Pſycholog. cap. 16. quæſt. 3.*

44. *Strictim, ut canis è Nilo, tactum, totius corporis ſenſum delibavimus, ſequitur certarum partium: eſtq; nobilior vel ignobilior.*

45. *Nobiliores ſunt qui munera ſua exquiſitius perficiunt & commune medium aërem vel aquam habent, ſuntq; viſus vel auditus.*

46. *Viſus eſt ſenſus exterior nobilior, lucis colorisq; ſpecies oculis percipiens.*

47. *Nobilior immò nobiliſſimus omnium ſenſuum exteriorum eſt viſus. 1. Quia procul magis, 2. quod plura, 3. quod exquiſitiſſimè, 4. quod celerius, 5. quod ſub pluribus differentiis comprehendit. Cardanus lib: 13. ſubtilitat.*

48. Objectum *viſus ſunt: τὰ ὁρατὰ viſibilia quæ radios continuatos, ſucceſſivè per medium ſpeciem ſui diffundunt. Ea ſunt vel colores, vel luminoſa & lucentia corpora, vel ἀνώνυμα, quæ noctu & in tenebris ratione luciditatis vel fulgoris lucent, interdiu verò ratione coloris ſunt colorata.*

49. *Color eſt extremitas perſpicui in corpore terminato, naturalem ejus conſequens compoſitionem. Is efficit ut rei ſuperficies ſit aſpectabilis, & per ſuperficiem, ipſum corpus: quicquid enim videtur, ſub ſpecie coloris videtur. Videtur ergo corpus, non quatenus quale, vel quantum, ſed quà eſt colore præditum.*

50. *Objectum viſus non applicetur organo, quia, medi*

non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]

non intercedente inter viſum & viſibile, ſpecies diffundi non poteſt. Res ergo prope oculum admotæ non videntur, proportio enim diſtantiæ eſt injuſta, & radius cum ſit linea recta, opus habet intervallo. Nec ſit nimis remotum, quia viſibile quodlibet radio finito radiat.

51, Medium, per quod fit radiatio ſeu coloris ad viſum delatio, dicitur ab Ariſtotele διαφανὲς ſeu corpus perſpicuum, quod eſt nihil aliud quam corpus, quod propter partium tenuitatem tranſparet, nec viſum terminat, quare & interminatum dicitur.

52. Eſt autem duplex: aut ſimplex, ut aër & aqua: aut compoſitum, ut corpora mixta & ſolida, verùm ex pura materia conflata, radiiſq; pervia: qualia ſunt cornu tenue, vitrum, Cryſtallus &c. quæ quidem actu lucida non ſunt, recipere tamen lumen & illuſtrari poſſunt.

53. Perſpicui itaq; forma, ſi viſionem ſpectes, lumen eſt, ab hoc enim conſtituitur. Et ſine lumine perſpicuum medii rationem non habet, nec fungi ſuo officio poteſt: ſed illuſtratum recipit colores, eoſq; ad viſum defert.

54. Hoc etiam ſenſu Ariſt. definit lumen actum perſpicui quatenus perſpicuum. Sed quod idem dicit: perſpicui eandem quandoq; cum lumine, quandoq; cum tenebris naturā eſſe, de perſpicuo potentiâ intelligendum eſt.

55. Senſorium ſive organon viſus eſt tum exterius κόρη ſeu pupilla binorum oculorum, qui in ſumma capitis parte tanquam ſpeculatores in ſupremâ quadam arce ſunt collocati, rotundi & globoſi, ut capiendæ quantitati ſufficerent, & celerius viſu apprehendere multa valeant. Cælius Rhodigin. lib. 9. cap, 2.

56. Tum interius & in prima conjugatione nervorum & in ſpiritu animali, quo recipi ſpeciem à pupilla & animæ communicari ſtatuimus. Vtroq; enim, anima tanquam promis & ſequeſtris ad receptionem utitur. Scalig. exercit. 298. ſect. 16.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]

57. Viſionem autem fieri non per radiorum viſivorum emiſſionem καὶ ἐκπομπὴν ad objectum: nec per συναύγειαν corradiationem nimirum ſeu receptos ſimul & emiſſos radios ſed per imaginum rei viſibilis receptiōem καὶ εἰσπομπὴν, cum Ariſt. veritatis alumno, opinamur.

58. Opinionem ſequentibus confirmamus. I. Omnis ſenſus fit in ſuo inſtrumento quippe quod à natura in eum finem factum, ut ſpecies recipiat: Oculus autem eſt inſtrumentum viſus. In oculo ergo erit viſio, non extra.

59. II. Res viſa eſt ubi judicatur. Viſio enim conjunctio facultatis viſivæ cum re viſa eſſe debet. At ſpecies rei viſæ apparet in pupilla videntis. In pupillam igitur recepta ſit & impreſſa neceſſe eſt. Scalig exercit. 80. ſect. 8.

60. III. Viſibile ſplendidum offendit viſum. Ergo oculus eſt ſubjectum patiens, & recipit quo offenditur. Huc accedit, quod vitell. lib 3 prop. 5. Impoſſibile eſt, inquit, viſum rebus viſis applicari per radios ab oculis egreſſos &c.

61. At Baſiliſcus aſpectu enecat hominem. Mulier cui menſtrua fluunt ſpeculum lævigatum & terſum inficit, ut contrahat maculas. Striges & Lamiæ emiſſo oculorum radio homines mori, prata areſcere &c. cogunt.

62. Lamiæ an naturaliter id præſtent multi & meritò dubitant. Baſiliſcum radiis emiſſis hominem interficere: Mulierem menſtruatam ſpiritu viſivo ſpeculum polluere rectè negat doctiſſimus Fernelius: idq; tetro quodam & diro vapore, qui forâs ab ore & à reliquo corpore erumpit atq; emanat, fieri, doctiſſimè aſſerit. Phyſiolog. lib. 6. cap. 10.

63. Viſio ergo fit κατὰ τὸ εἰσιέναι, id eſt, ſpecie viſibili extrinſecus in oculum recepta, & inde beneficio ſpiritus animalis, per nervos opticos in pupillam diducti, ad cerebrum ubi ſenſus communis eſt, delata.

64. Hactenus de viſu: ſequitur Auditus.

65. Auditus, diſciplinæ ſenſus, eſt ſenſus nobilior ſonos aurium beneficio percipiens.

66. Sonus, auditus objectum, eſt, qualitas è binorum corporum colliſione nata, multisq́; quaſi circulis & ſemicirculis per aërem delata, ad aures auditum efficiens.

67. Solidum utrumq; ut ſit non requiritur. Flagelli n. lorum in aëre percuſſo ſonum evidentem excitat. Idem etiam aliquando medii & percuſſi ſive moti rationem ſuſtinere, notandum.

68. Circuli iſti & ſemicirculi, ſi in locum aliquem cavum & denſum perveniant, indeq́; reflectuntur, ſonus per idem ſpatium ſicut pila à pariete reſilit, & alium ſonum, qui Echo dicitur, efficit.

69. Echo tardiùs primum ſonum ſeu ſoni veſtigium ſubſequitur, ubi latior eſt repercuſſio & longiore intervallo diſtat corpus unde illa fit. Citiùs autem ſonum ſubſequitur Echo, aliquando etiam ſtatim cum eo conjungitur, ubi objectum, à quo terminatio ſoni reſultat, eſt propius, puta in conclavi concamerato, item templis brevi teſtudine coaptatis &c.

70. Auditus ſenſorium externum ſunt aures cartilagionoſæ, tam affabrè à natura factæ, cavitate & multis anfractibus ab externis injuriis defenſæ, ne quid ex inopinato intrò rueret, neve appulsæ voces laberentur & effluerent. Fernel. Phyſiol. lib. 1. cap. 9.

71. Internum ſunt tria oſsicula (quorum unum incudi, alterum malleo, tertium ſtapedi aſsimilatur) q̃ ab aëre tenui & quieto, auribus ingenito, percuſſa, ſonum iterant.

72. Neq; hic excluſos volumus nervos, per quos ſpiritus animalis diffuſus, ſonos exceptos & iteratos ad cerebrum defert.

73. Medium, ſonum ad aures deferens, aptiſsimum eſt aër: minus aptum aqua.

74. Modus auditionis hic eſt. A colliſione corporum aër frangitur: aër fractus efficit gyros, qualitatem ſoni vehen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]

tes: gyri aërem alterando ſucceſsivè ad aurem deferuntur: aër internus gyrorum ſimilitudines aſumens vibrat ſeu tangit panniculos, incudem, malleolum, & ſtapidem continentes, quo oſsicula illa inter ſe colliſa, tandem auditum ſonum repræſentant, ſonus in aure formatus per nervum auditivum ad cerebrum defertur. velc. 4. Phyſ. 7. diſt. 11.

75. Sic fuerunt ſenſus nobiliores: Ignobiliores ſunt guſtus & olfactus.

76. Guſtus, eſt ſenſus exterior ignobilior, ſenſilia guſtabilia, linguâ, ſalivâ inſipidâ, imbutâ, percipiens.

77. Senſilia guſtabilia, communi nomine dicuntur ſapores. Sapor autem eſt qualitas corporis mixti à ſicco terreſtri in humido aqueo certâ contemperationis ratione producta, guſtatum afficiens.

78. Inſtrumentum guſtus internum, eſt nervus guſtatorius, ex quarta conjugatione nervorum à cerebro diductus, & ſupra carnem linguæ poroſam, retis inſtar, extentus.

79. Qui ſi vel læſus vel tranſpoſitus ſit, omnia inſipida reddi, exemplo probat Reald. columb. lib. 15. Anatom.

80. Externum organon eſt lingva, quam ſapiens natura, ſubſtantiâ rarâ & laxâ dotavit, ut humore, ſaporum vectore, faciliùs imbueretur, & præterea tunica tenui cinxit, quæ toti ori communis eſt Fernel. lib. 1. Phyſiolog. cap. 8.

81. Medium guſtatus eſt internum cum ipſo inſtrumento conjunctum eſtq; ſaliva, ſive humor ſalivoſus linguam & gulam humectans.

82. Humor iſte ſi fuerit temperatus, commodiùs & meliùs organum apprehendit ſapores: ſi verò diſtemperatus, vel alieno humore imbutus, vel nimiâ copiâ diffluens, vel nimiâ inopiâ deficiens, depravatè & male, vel omnino nullum ſaporem capit.

83. Hinc eſt quod belioſis & febricitantibus omnia videntur amara, non quidem vitio organi, ſed medii bilioſo

nimi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]

nimium infecti humore, præ cujus acrimonia & copia reliquos ſapores non ſentiunt.

84. *Modus quo fit guſtus hic eſt. 1. Calor in mixto humidum & ſiccum ita temperat & exprimendo ſuccum quaſi efficit. 2. Idem deinde calor ſalivam attenuat, ut qualitatem humidi in re ſapida poſſit accipere. 3. Saliva poros organi ſubintrans qualitatem nervis guſtatoriis per contactum communicat.*

85. *De guſtu egimus: ſequitur olfactus, qui eſt ſenſus exterior ſenſilia odorabilia percipiens.*

86. *Odorabile ſenſile eſt odor, qui eſt qualitas odorabilis, ex ſicco concocto per vim caloris, in re quæ ſuâ naturâ eſt humida, odoratum afficiens.*

87. *Olfactus ſenſorium externum & minus principale, ſunt nares inferiùs cartilaginoſæ: internum verò duo cerebri proceſſus, mamillares aliis dicti, eò loci ubi ventriculi ejus anteriores, in poſteriore ſui parte in anguſtum deſinunt, prodeuntes. Ad hæc organa odores per nares attracti aſcendunt. Seid. pag 222. Reald columb. li. 8. de re Anat. ca. 2.*

88. *Medium odoratus eſt tum aër tum aqua. Ariſt. de ſenſu & ſenſili cap. 5. Aëre attracto per nares, attrahuntur odorum ſpecies. In aquis piſces degentes, odorem ſentire videntur, quia eminus etiam piſces eſcas odorantur, unde illis aquam pro medio tribuunt, Ariſt. 2. de an. cap. 9. Seid. pap 572.*

89 *Coronidis loco hic attexere libet: hominem odoratum hebetiſſimum ſortitum eſſe. Odor enim quia ex calido & ſicco proveniat: Cerebrum verò homini frigidum & humidum eſſe, conſtet: ſenſilis cum ſenſu exacta proportio non datur.*

90. *Quod de odoratu dictum, de omnibus exterioribus dici poſſe, abſurdũ non eſt. Verſus enim vulgares ſic habent.*

Nos aper auditu, lynx viſu, ſimia guſtu,
Vultur odoratu, præcellit aranea tactu.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]

91. Hucuſq; de ſenſibus exterioribus, qui tanquam janitores, ſatellites, excubitores ad interiores objecta deferunt: ſequuntur interiores.

92. Senſus interior eſt potentia ſenſitiva, quæ rerum ab exterioribus oblatarum imagines, certâ quadam apprehenſione recipit, & dijudicat.

93. His igitur animal ſenſilia non tantùm nudè percipit, ſed etiam ſe percipere animadvertit.

94. Interiores dicti, quod intra cranium in cerebro ſua exequantur munia, nec habeant instrumēta extra ſe poſita.

95. Objectum ſenſuum interiorum, ſunt non modò rerum coràm oblatarum & præſentium, ſed etiam abſentium & præteritarum imagines.

96. Offeruntur autem potiſsimùm ab exterioribus, cum nihil ſit in ſenſibus utplurimùm interioribus, quod non ante fuerit in ſenſibus exterioribus. Quare non immeritò hi ſenſus ſentiendi actu ſunt poſteriores.

97. Commune horum organon & ſedes eſt cerebrum.

98. Senſus interior eſt concipiens vel conſervans. Concipiens officio ſuo fungitur tum diſcernendo, tum pleniùs æſtimando. Eſtq; vel ſenſus communis vel phantaſia.

99. Senſus communis eſt ſenſus interior concipiens, imagines ab externis oblatas pleniùs diſtingvens. Non tantùm igitur ſonos à coloribus reliquisq; ſenſilibus: ſed etiam ſonos à ſonis, colores à coloribus diſcernit.

100. Communis dictus, quòd in omnibus ſimulacris ab exterioribus ſenſibus oblatis, ſimul & communiter occupetur. Radix itaq; & fons eſt omnis ſenſationis, ad quem veluti quinq; lineæ ad centrum, ita quinq; ſenſus ſe habent. Goclen.

101. Phantaſia eſt ſenſus interior concipiens, ſpecies ſenſilium pleniùs expendens, ſimilesq; ex iis intentiones & conceptus eliciens.

Hujus

102. Hujus igitur ſenſûs objecta, concepta & formata dicuntur. Concepta, vel ſunt idola à cæteris ſenſibus apprahenſa & per ſenſum communem oblata: vel extrinſecus, etiam ab externo agente, in δύναμιν phantaſticam immiſſa. Caſman.

103. Formata, quæ & propria dici poſſunt, quia quandoq; vis hæc imaginatrix, ſuâ vi, ſibi ex aliâ quapiam internâ cauſſâ effingit & efformat imagines, quæ in ſenſu exteriore talia non fuerunt: ut ſunt imagines centaurorum aliorumq; monſtrorum, quæ nec ſunt nec eſſe poſſunt. Seid. pag. 671.

104. Hic porrò ſenſus imagines has firmè cum morâ quadã retinet, ut exactior de iis æſtimatio fieri queat: deinde diſperſas colligit: collectas deniq; verſat & examinat. Caſman.

105. A Phantaſia omnes animalium cogitationes proficiſcuntur, nec ulla neceſſitas hoc loco novos nobis ſuggerit ſenſus. Sufficere etiam, ad res ſenſiles concipiendas etiam abſentes, ſolam imaginationem ſtatuimus, aliam itaq; quærere ſupervacaneum ducimus.

106. Senſus conſervans vel memoria, eſt ſenſus interior perceptas rerum imagines cuſtodiens, ſubindeq; eas Phantaſiæ referens. In ſolo hæc eſt cerebro, nõ in digitis, nõ in pedibus.

107. Objecta memoriæ, ſunt ſpecies rerum præteritarum & priùs cognitarum. Præſentia enim tantùm ſenſui communi præterita tantùm memoriæ, abſentia verò & præſentia Phantaſiæ inſunt.

108. Nec enim futurorum nec præſentium memoria eſſe poteſt. Futurorum enim eſt opinio, vel ſpes, vel præſcientia quædam ἐλπιστική, quorum nihil eſt memoria.

109. Brutorum effecta, eorundem memoriam probant. Androdus in ſpeluncam leonum injectus, ab uno leone agnitus, ab injuria reliquorum defenſus. Gell. lib 5. cap. 14.

110. Cum Ariſt. autem (utpote emunctioris naris in Phyſiologia dictatore,) ex cap. 4. de memor. Memoriam aliam eſſe

ſen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]

ſenſitivam, aliam intellectivam, illam brutis cum hominibus communem, hanc ſolis hominibus datam, ſtatuimus.

111. Memoria pro cerebri conſtitutione, vel eſt acrior, vel hebetior. Qui cerebrum nimis habent humidum vel ſiccum, debiliorem habent memoriam, qui mediocre, mediocrem. Nimia enim humiditas retentionem, nimia verò ſiccitas impreſſionem, impedit. Propter hanc ſenes, propter illam pueri ſunt oblivioſi.

112. Bonitas ergo memoriæ à ſpirituum animalium, non familiarium claritate, & mediocri ſubtilitate eſt. Non enim rectè ſe habet anima in denſo, aut lutulento, aut molli, aut nimis duro.

113. Et hæc ſunt, quæ de ſenſuum Pſychologia, pro re nata, in medium adferenda duximus, in qua etſi non omnia ἀκριβῶς demonſtrare poſſumus: tamen miremur, rerumq́; ignari imagine gaudeamus, memores illius Scalig. exerc. 1. ad intellectionem harum rerum mentis noſtræ aciem directam tàm imbecillem eſſe, quàm ad intuendum ſolem Nycticoracis oculus. Goclen.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 179 [14,-175 4°]